



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita S. Liborii Episcopi, Calculo Laborantium Patroni

Bolland, Johannes

Antverpiae, 1648

De Sancto Liborio Episcopo Cenomanensi In Gallia, Tutelari Urbis
Paderbornae In Westphalia, adversus nephriticos & calculi dolores
Patrono, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-9573

DE S A N C T O
L I B O R I O

EPISCOPO CENOMANENSI

I N G A L L I A,

T V T E L A R I V R B I S

P A D E R B O R N Æ

I N W E S T P H A L I A,

aduersus nephriticos & calculi
dolores

P A T R O N O,

COMMENTARIVS HISTORICVS

IOANNIS BOLLANDI

E SOCIETATE IESV.

§. I. S. LIBORII *natalis, etas.*

i.



Vartus Cenomanorum in
Galliâ Antistes fuit S. Libo-
rius, quem *Gesta eius, qua in-*
frâ ex veteri ms. Cenoma-
nensi dabimus, obiisse tradunt

v. Idus Iunij: quo die Vitam illius refert Rena-
tus Benedictus; licet Vita à Ioanne Morello

A

Cano-

2 VITA S. LIBORII PATRONI

S. Liborij
natalis 9.
Iunij.

Canonico Cenomanensi *collecta* (quam Gallicè Renatus edidit) habeat, quarto Idus Iunij in pace quieuisse: quod incuriâ fortasse librarij factum. Andreas Sauffaius in supplemento Martyrologij Gallicani, v. Idus, *sive die IX. Iunij, ita illius meminit*: Hoc ipso die Cenomanis S. Liborij Episcopi, cuius consecrata perpetuæ venerationi memoria sacris in fastis locum habet die 23. Iulij, quâ die dictum est de eo, post mortem in Germaniam ad Paderbornensem ciuitatem, tutelæ gratiâ, translato. Eodem die Philippus Ferrarius in generali catalogo SS. Cenomanis in Galliâ, S. Liberij Episcopi eiusdem vrbis. *Idem alibi quoque Liberium appellat, uti & Galefinius, Felicius, mss. quedam: at Claudius Robertus in Galliâ Christianâ, Liberium & Liborium.*

celebritas
23. Iulij.

2. *Prolixior Vita, sub Bisone Episcopo Paderbornensi scripta, atque ea qua in 2. parte Legendæ an. 1483. excusâ extat, asserunt obÿsse x. Kalendar. Augusti, sive XXIII. Iulij. Quo die de eo ita habet Romanum Martyrol. cui & alia congruunt. Cenomanis in Galliâ, S. Liborij Episcopi & Confessoris. Constantius Felicius: Liborij Episcopi in Cenomanis. Appendix ad Martyrol. Adonis: Eodem die S. Liborij Episcopi ciuitatis Cenomanensis & Confessoris. Vetus ms. Martyrol. Monasterij S. Martini Treuiris: Paderebornæ Liborij Episcopi & Confess. ms. Florarium, vetus Martyrol. Coloniae an. 1490. editum, & alia mss. Vsuardi nomine*

nomine insignita: Apud Cenomannicam ciuitatem depositio S. Liborij Ep. & Confessoris. Hic quinquagesimo ordinationis suæ anno, ad Patrem & patriam transijt feliciter ex hoc mundo. Carthusiani Colonenses *in Addit. ad Vsuard.* Cenomannis S. Liborij Ep. & Confessoris, multæ sanctitatis viri, quem Episcopatus sui anno quinquagesimo defunctum B. Martinus Turonensis sepeliuit. Galestinus *autem:* Apud Cenomanos S. Liberij Episc. & Conf. qui B. Martini Episcopi Turonensis æqualis, Diuini cultus propagator egregius extitit, veræque in Christo religionis Doctor ac magister, quàm plurimos ab erroribus maleque agendi consuetudine auocauit. Canisius *denique:* Item Cenomannis S. Liborij Episcopi & Conf. qui magnæ vir sanctitatis, multos ab errore & peccatis conuertit, Deique honorem ac cultum latè propagauit. Cùm Episcopatum 50. annis laudabiliter administrasset, obdormiuit in pace, atque à S. Martino Episcopo Turonensi sepultus est. Quiescit nunc Paderbornæ. *In primâ editione, aliquantò breuius, eadem serè perstringit.*

3. Ferrarius XXI. Iulij eum refert, ac Molanum citat, qui eius ad illum diem non meminit, sed XXIII. Iulij ita habet: Cenomanis depositio SS. ^{non 21.} Pauacij & Liborij Episcoporum & Confessorum. At S. Pauacius XXIV. Iulij colitur.

4. Quo seculo vixerit S. Liborius perspicuum est, vt qui sit à S. Martino Episcopo Turonensi

4 VITA S. LIBORII PATRONI

vixit secul-
lo 4. mandatus sepultura: hunc autem constat, Cæsario
& Attico Coss. siue iuxta Æram vulgarem,
anno Christi 397. obiisse: licet alij dissentiant, abs-
que solido argumento. Quo verò anno decesserit Li-
borius, non est disertè expressum. Si, quod in Vitâ è
Ioannis Morelli codice descriptâ traditur, inq̄, ti-
tulo secunda Vitæ, id verè ab antiquioribus acce-
ptum est, vixisse temporibus Constantini &
Valentiniani Imperatorum; etsi XLIX. annis
Ecclesiæ dicatur præfuisse, non potest vltra annum
385. superstes extitisse; aut saltem 389. si Constan-
tino iuniore regnante ad Episcopale solium
euectus est. Sed fortassis non Constantini legendum
censebit quispiam, sed Constantij, qui anno 361.
decessit.

quando ois
decessores?
5. Porro si, quod in huius Vitâ dicitur, imme-
diatè successit S. Pauacio, atque hic, quod in ipsius
quoque Vitâ traditur, S. Iuliano, primo Ceno-
manorum Antistiti, comes adiutorq̄ue datus à
Romano Pontifice; consequens est, S. Iulianum
non esse à S. Clemente missum in Gallias, nedum à
S. Petro: sed vel Decio & Grato Coss. vti XXVII.
Ianuarij Letaldus Monachus ad eius Vitam in
epistolâ ad Auesgandum Ep. scribit, S. Gregorij
Turonensis sententiam secutus, vel fortasse paucis
annis antè sub Philippo Augusto, aut etiam (quod
Antonio Coruasserio in Historiâ Episcopo-
rum Cenomanensium placuit) sub Gordiano.
Nam si non est in Tabulis Episcoporum Ceno-
manensium error, etsi numquàm Sedes vacârit,
collegato S. Iuliani exordio circiter Consulatum
Decij

CALCVLO LABORANTIVM, §

Decij & Grati, annum videlicet Christi 250. si
 inde numerentur Sedis S. Iuliani anni 47. men-
 ses 3. dies 10. S. Turibij anni 5. mensis 1. dies 11.
 S. Pauacij anni 43. S. Liborij 49. perueniemus ad
 annum 395. & fatendū erit hunc neque Magni, ne-
 que iunioris Constantini temporibus Episco-
 pum fuisse. Verū illud haud satis credibile, S. Pa-
 uacium S. Iuliano adiutorem datum, atque
 cum eo ad prædicandum in Archidiacona-
 tus officio directum, postea in Gallijs annos 95.
 & quod excurrit, superuixisse. Sed de S. Pauacio,
 quem quidam Panatium appellant, 24. Iulij: de
 S. Turibio agemus 16. Aprilis. De ætate S. Liborij
 ac Sedis tempore Baronius in Notat. ad Marty-
 rol. 23. Iul. Sedit annos 49. temporibus Valen-
 tiniani, Gratiani, & Theodosij Augustorum.
 Verū ab anno 364. quo imperare cœpit Valenti-
 nianus, ad 395. quo Theodosius decessit, confi-
 ciuntur anni solūm 31. Et prius decessisse S. Libo-
 rium inde liquet, quod S. Martinus S. Victorem,
 vel Victurium II. eo tempore quo mortuus est videtur civ-
 S. Liborius, decem solūm annos natū, deinceps edu- ca an. 385.
 carit, adultumq; sacerdotio ipse initiarit, minimum obijisse.
 14. post annis: vnde consequens videtur an. 383. aut
 etiam ante, decessisse Liborium.

§. II. S. LIBORII Vita.

6. **T**ernas S. Liborij Vitas damus, per breues, &
 mss. codicibus Ecclesię Cenomanen-
 sis, beneficio Ludouici Cellotij nostri, acceptas.

6 VITA S. LIBORII PATRONI

*Tres eius
breues Vita,*

*Citantur ea, ni fallor, à maioris Vitæ scriptore, his
verbis cap. 1. n. 5.* Non tamen desunt etiam certa
de eius meritis apicum monumenta. Habentur etiam Gesta Pontificum eiusdem, cui
præfuit, Ecclesiæ Cenomanicæ, simplici elo-
quio, & absque omni næuo figmenti, fideli
narratione contexta: in quibus non plena ali-
cuius eorum vitæ series replicatur, sed quis
cui successerit, cuius meriti fuerit, quot annis
Ecclesiam rexerit, breuiter etiam annotatum.
Huius verò sacri ac pretiosissimi viri Liborij
etiam transitus, ex hac valle lacrymarum
ad societatem semper verè beateque gauden-
tium ciuium supernorum, quo contigerit or-
dine, latiùs indicatur. Extant & aliæ de eius
ortu & vitâ litteræ strictim exaratae. *De his ite-
rum cap. 5. n. 18.* Tradunt quoque litteræ supe-
riùs memoratae, multa quidem S. Liborium
in hac vitâ fecisse miracula, sed multò plura
postmodùm ad sepulchrum eius fuisse diui-
nitus ostensa, licet ob multitudinem suam no-
minatim expressa non sint.

*ex MSS. hic
edita:*

7. *Primo igitur loco Vitam breuem damus ex
veteri ms. Legédario Ecclesiæ Cenomanensis.
Deinde aliam ex vetusto item ms. de Vitis Epi-
scoporum Cenomanensium, in Thesauro
eiusdem Ecclesiæ recondito; cui Vitæ hic est titu-
lus: Gesta Domni Liborij Cenomanicæ vrbis
Episcopi, qui fuit temporibus Constantini &
Valentiniani Imperatorum. Tertia descripta est
è libro manu exarato Ioannis Morelli Canonici
Ceno-*

Cenomanensis, in quem Vitas Episcoporum Cenomanensium anno 1572. retulit. Ea ex prioribus duabus contexta; ab ipsone Morello, an potius ab antiquiore alio, haud nobis compertum. Hanc certe, à Petro Viello Gallicè versam, edidit Renatus Benedictus, vt iam monuimus.

8. Dein subiiciemus prolixiorem aliam Vitam grauitè & bonâ fide conscriptam, vt censet, alia maior, qui primus eam edidit, Surius, Molanus quoque & Galefinius. Auctor Saxonem, id est, Westphalum, se fatetur l. 2. cap. 2. n. 7. De gente nostrâ, hoc est, Saxonicâ, inquit. Et cap. 8. n. 37. & maxime Saxones nostri. Ex lib. 1. cap. 5. n. 18. conijcere quopiam licet Canonicum fortassis Ecclesiæ Paderbornensis fuisse: Quod nos facillè, inquit, credimus, ex his quæ oculis nostris videre meruimus postquam ad nos sacrum translatum est corpus. Quando eam scripserit Vitam ac Translationem, inde est manifestum, quòd Bisoni, quarto Paderbornensi Episcopo, eam dicârît, vt patet lib. 2. cap. 1. n. 1. Biso autem quando sederit, ita statui potest; B. Hathumarus obiit anno 815, aut 816. vt infra patebit: Baduradus sedisse dicitur annis ante annos 48. Ei ergo an. 863. vel sequenti successit Luitharius, qui an. 865. vt 3. Februarij ex Vitâ S. Anscharij, & 4. ex S. Remberti perspicere est, ipsum S. Rembertum Archiepiscopum consecrauit. Luithario annos 26. tribuunt Gobelinus Persona, Auctor Vitæ S. Meinwerci 5. Iunij, alijq;. Verùm ij B. Hathumarum mortuum ponunt an. 804. mendosè. Luithario Biso successit, cui Vita

8 VITA S. LIBORII PATRONI

dicata, tempore Arnulphi Imp. qui an. Christi 900. imperij 13. obiit. Auctorem hunc ita citat, eiusq. etatem indicat Gobelinus cap. 38. Ad hunc locum (Paderbornam) Karolus sæpè diuertit; quoniam, vt scribit quidam, qui postea in eodem loco, tempore Arnulphi Regis vitam duxit religiosam, hic locus viris omni nobilitate generis animiq.ue semper insignibus abundabat. aliâque subdit, quæ hic Auctor habet lib. 2. cap. 2. n. 4. Vnde verò quæ litteris mandauit, ipse acceperit, indicat lib. 2. cap. 3. n. 10. Clericorum verò, quibus id negotij commendatum est, præcipuus erat quidam Presbyter, Ido cognomine, qui omnem suæ profectiois historiam, & signa quæ in eâ diuinitus ostensa perspexerat, partim viuâ voce intimata, partim litteris breuiter annotata, ad nostram fecit venire notitiam. Hunc Anonymi Auctoris insignem Commentarium accepimus ex ms. codice monasterij Corfendonceni Canonicorum regularium in Brabantia, contulimusque cum Surijs & aliâ posteriùs adornatâ Paderbornæ nuper, ad alterius codicis fidem, editione.

Paderbor-
347

alia alibi
Vita.

9. *Ex hac breuiatam S. Liborij Vitam è Bodocensis in Westphaliâ cœnobij manu exarato Passionali nobis descripsit Ioannes Gamanus noster: quæ eadem, vnâ cum Translatione extat in 2. parte Legendæ anno 1483. Colonia, dein 1485. Louanij excusâ. Succinctè S. Liborij Vitam è Surio expressere Franciscus Haræus, & Zacharias Lippelous, atque in Gallicano Marty-*

Martyrologio ad 23. Iulij Andreas Saussaius.
Fusus de eo agit in Gallicâ Episcoporum Ceno-
manensium Historiâ, Antonius Coruasserius
Curtellius Cenomanus, insigni vir eruditione
& iudicio.

§. III. S. LIBORII *Translatio.*

10. **D**OCTOR Gobelinus Persona Decanus
 Bilsfeldensis & Officialis Paderbor-
 nensis, qui ante 240. annos scribebat, in Cosmo-
 dromio, *atate 6. cap. 41. de S. Liborij Transla-* *Translatio*
tione ista habet : Anno imperij Ludeuici *reliquiarũ*
 XXIV. translatus est S. Liborius de ciuitate *eius an. 836.*
 Cenomanicâ Galliæ, in quâ quondam ipse *facta;*
 fuerat Episcopus, ad Paderbornam Westpha-
 liæ; Aldrico Cenomanensem & Badurado
 Paderbornensem regentibus Ecclesias. Hic
 Aldricus fuit accusatus apud Gregorium Pa-
 pam IV. vt habetur 2. quæst. 6. *Decreto nostro.* Et
 quidam Clericus Ecclesiæ Paderbornensis,
 Ido nomine, conscripsit miracula, quæ vidit
 in Translatiõne S. Liborij, & habentur scripta *ab oculatis*
 in Ecclesiâ Paderbornensi supradictâ. Et Er- *testibus da-*
 conradus Diaconus Ecclesiæ Cenomanensis *scripta,*
 scribit eadem miracula, prout ea se vidisse te-
 statur: & ipse scribit, quòd Legati Episcopi
 Baduradi, pro Reliquiarum sanctarum rece-
 ptione missi Cenomannicam, principales fue-
 runt, Folodagus Aduocatus Episcopi Badu- *per Legatos*
 radi, Meinulphus Archidiaconus, Adelbertus *curata,*

A 5 Presby-

IO VITA S. LIBORII PATRONI

Presbyter, Aldricus Diaconus, & Drudwinus Subdiaconus: & quòd Meinulphus in Ecclesiâ S. Vincentij Cenomanensi vouit monasterium sanctimonialium fundare in honorem B. Mariæ & S. Liborij, in loco qui dicitur Bodicon.

*miraculis
illustrata:*

II. *Eadem tradit Krantzius, Metropolis lib. I. cap. 28. qui Folodigium vocat, quem Gobelinus Folodagum; Erconredum, quem hic Erconradum. Addit Baduradum, quòd mirâ deuotione in Sanctum Dei Liborium ferueret, eius reliquias petiisse; Aldricum, siue quòd meritis esset præuentus à Badurado, siue quòd minoris eas fieri in prouinciâ cerne-
ret, protinus annuisse. quas causas neque ex Gobelino, neque ex Historiâ Translationis à coetaneo scriptâ, accepit Krantzius. Postremò hæc adiicit: Celebris est memoria eius vsque hodie in Ecclesiâ Paderburnensi; quod crebra in populum beneficia contestantur ac merentur. Ideò autem S. Meinulphum votum ait fundandi monasterij nuncupasse, vt prosperare dignaretur Deus legationem eorum. In Vitâ S. Meinulphi, quam v. Octobris dabimus, nulla huius voti ab eo apud Cenomanos nuncupati mentio fit: vt vel inde conijcere liceat, eam Vitam à Gobelino Personâ non esse conscriptam, quod tamen Surius in manuscripto codice se reperisse scribit.*

*ca eleuata
28. April.*

12. *Consignata est non vno die in Martyrologiis huius Trâslationis memoria. Nam xxviii. Aprilis ita habes verus Kalèdarium Ecclesiæ Paderbor-
nensis:*

nenfis: Inuentio corporis S. Liborij. *Antiquum item Breuiarium typis excusum*: Translatio S. Liborij. Plenum officium. ms. Florarium: Floriani Martyris Translatio, & Liborij Episcopi & Confess. *Colitur S. Florianus iv. Maij. Vetus Martyrol. Coloniae editum an. 1490. Cenomanis Translatio S. Liborij Ep. & Conf. in Paderbornam. At Carthusiani Colon. in Addit. ad Vsuard. Apud Paderbornam Translatio S. Liborij Episcopi Cenomanensis & Conf. Canisius denique; Item Padelbornæ eleuatio S. Liborij Episc. Cenomanensis in Galliâ, & Confessoris, de quo pleniùs xxiii. Iulij. Eo igitur die leuati de mausoleo sacri artus, vt loquitur coætaneus scriptor. Nam ad urbem Cenomanicam quinto Kalendarum Maiarum die venêre Legati Paderbornensis Antistitis, vt habet ms. Corfendoncanum; non quarto, vt libri editi. Sequenti die facta eleuatio est. Kalendis* *Cenomanis euectæ 1.*

13. Tandem die quinto Kalendarum Iuniarum, quo tunc sacra Pentecostes solemnitas agebatur, ad desideratam diu Paderbornensem Ecclesiam peruenerunt. *Consentiunt inuicem hi chronologici characteres: Annus Christi 836. Indictio 14. dies Pentecostes 28. Maij, cum Pascha fuisset 16. Aprilis. Annus verò Ludouici Pij Imp. 24. non à morte Caroli Magni Patris, quæ contigit an. 814. duci debet, sed ab anno præcedenti, quo Augustus est iubente patre proclamatus. licet maior Vita, annum Ludouici ponat 23. nimirum* *Paderbornam allata 28. Maij.*

rùm à morte patris. Ad diem verò 28. Maij, siue
 y. Kal. Iunij, Carthusiani Colonienſes in Ad-
 dit. ad Vluard. iſta habent. Apud Paderbornam
 Tranſlatio S. Liborij Episc. Cenomanenſis &
 Conf. Conſentit Molanus. Florarium, & paullo
 aliter Martyrol. Colon. In Paderbornâ ad-
 uentus S. Liborij Ep. & Conf. Caniſius eodem
 die: Item Paderbornæ Tranſlatio S. Liborij
 Episcopi Cenomanenſis & Confessoris: quæ
 Tranſlatio magnis miraculis diuinitus illu-
 ſtrata, & certis eximia ſanctitatis argumentis;
 cùm corpus eius ab Cenomanorum vrbe Pa-
 delbornam deuectum eſt à ſecundo Padel-
 bornenſi Episcopo Badurano. De eo pluri-
 bus 23. Iulij. Andreas Sauſſainus in Martyrol.
 Gallicano, ita ſcribit: Eodem die Tranſlatio
 S. Liborij Episcopi Cenomanenſis, quando
 ſacrum eius corpus Paderbornam delatum
 eſt: in quâ auectione multa ſigna, quæ reful-
 ſère, ſanctitatis eius & gloriæ certiffima ar-
 gumenta exhibuère.

*Historia
 Translat.
 per ſcripſo-
 rem Saxo-
 nem, non ta-
 men Idonè;*

14. Tranſlationis Historiam, & miracula
 in eâ facta, Ido Preſbyter partim viuâ voce
 intimata, partim litteris breuiter annotata, ad
 viri religioſi, qui Vitam S. Liborij, vt dictum antè,
 conſcripſit, fecit notitiam peruenire. Non arbi-
 tramur ſcriptum illud Idonis extare; nedum illud
 ipſum eſſe, quod hîc damus: id Baronium exiſti-
 maſſe, perperam aſſeruit, qui tertiam Surij editio-
 nem adornauit. Diſertè ita ſcribit Baronius ad an.
 836. n. 12. Ab eo (Idone) qui accepit, ſiue ſcri-
 ptis

ptis, siue viua voce tradita, simul iungens, in dicto de eius Translatione libello contexit.

15. *An extet, quam Erconradus Cenomanensis Diaconus conscripssisse Translationis Historiam traditur, cum miraculis à se visis, haud scimus. Breuiore nacti sumus ex veteri Legendario Ecclesie Cenomanensis, quam ferè sequitur Coruasserius. Ea tamen non videtur ab oculato teste scripta, cum ipsum Baduradum (quem Baduratum vocat) Cenomanos eà causà profectum tradat, quod alter scriptor planè exactissimus negat. Ideò hallucinatus fortasse est Auctor ille, quòd cum audisset Eleuationi reliquiarum duos adfuisse Episcopos, crediderit alterum fuisse Baduradum, qui David erat S. Aldrici Coepiscopus. Neque is Baduradi Legatorum nomina producit, ab Erconrado tamen olim expressa, si Gobelino Krantzioque fides.*

*Et per Cē-
nomanum,
non Ercon-
radum.*

16. *Meminit huius Translationis Wernerus Rolevinckius lib. 3. de situ & moribus Westphalorum cap. 8. his verbis: Benedictus quoque Badueradus, secundus Episcopus Paderbornensis, diuinà reuelatione confortatus, solenniter transtulit corpora SS. Liborij, Panacij, Turibij, Gundanisoli, Episcoporum Cenomanicæ ciuitatis, ad suam Ecclesiam cum multà glorià miraculorum. Et sanè breuior Translationis Historia num. 5. multas aliorum Sanctorum reliquias, vnà cum S. Liborij corpore, Paderbornensibus à S. Aldrico datas tradit. Ac verò, ut alter Auctor cap. 4. nu. 12. testatur,*

*Reliquiis
vnà allata
SS. Panacij,
Thuribij,
Gundan-
soli Epp.*

atur,

zur, erant in eodem loco aliorum quoque membra Sanctorum, in sarcophagis honestè reconditorum, maximè Episcoporum ciuitatis illius. Ex ijs fortasse particulas sanctus Antistes Legatis donauit: nam si corpora integra, non id siluissent scriptores. Die xxv. Iulij Cenomanis S. Iuliani Translatio celebratur: at trium illorum consignata pridie in Martyrologijs memoria. Ita enim habent Carthusiani Colonenses in Addit. ad Vsuard. & vetus Martyrol. Coloniae editum an. 1490. Cenomannis depositio SS. Pauacij, Turribij, & Gundanisoli, Episcoporum præfatæ vrbis & Confessorum. At ms. Florariû SS. In Paderbornâ depositio sanctorum Episcoporum & Confessorum Cenomanensium, Panarij, Turribij & Gundanisoli. Agitur S. Thuribij natalis xvi. Aprilis, S. Pauacij xxiv. Iulij, vbi fusiùs de eorum rebus gestis. At Gundanisolus in Catalogis Episcoporum Cenoman. apud Claudium Robertum, Ioannem Chenu, Antonium Coruasserium, notus non est, neque in Saussaij Martyrol. Gallicano.

& S. Valerini.

17. Idem, qui suprâ citatus, Gobelinus in Chronicâ Padebornensis diœcesis cap. 9. iisdem ferè verbis quibus in Cosmodromio, huius Translationis meminit, sed S. Valerinum addit, alibi planè ignotum: Anno, inquit, Ludouici Pij xxiii. translatus est S. Liborius, & S. Valerinus de ciuitate Cenomanicâ Gallia, &c.

§.IV. *Fraternitas Ecclesiarum Cenomanica & Paderbornensis.*

18 **S**pectat illud quoque ad S. Liborij honorem, quod inter Ecclesias Paderbornensem ac Cenomanensem sacrum fœdus ictum est perennis amicitia, sub communis Patroni tutelâ, auspicioque, ut utrimque publicarum precum, atque efficacia ad Diuina dona promerenda, que in omni inest virtutum Christianarum exercitatione, communio esset. Eam tunc à S. Aldrico sancitam societatem, siue, ut vulgò appellant, fraternitatem, ita Paderbornensis historicus indicat c. 5. n. 24. Dehinc inter vtriusque Ecclesiæ, Cenomanicæ videlicet & præfatæ Paderbornensis, congregationes, firmatâ caritate perpetuæ fraternitatis, ad patriam eis redeundi licentiam dedit. Qualis ab exordio per quatuor secula, & ultra, congregatio Paderbornensis extiterit, coniici ex Gobelini verbis potest, qui cap. 64. de Bernardo IV. Episcopo XXI. qui circa an. 1227. Episcopatum adeptus, 28. annis tenuit, ita scribit: Sub isto Bernardo in Ecclesiâ Paderbornensi adhuc regularis, huc obseruantia regularis inter Canonicos eiusdem Ecclesiæ viguit: & sub eo immutatio facta videtur de regulari obseruantia ad statum Canonicorum secularium. Idem habet in Chronicâ ms. Ecclesiæ Paderbornensis, ubi Bernardum tradit solùm 18. annis sedisse. De eadem fraternitate scriptor Cenomanenses, tradit:

*Fraternitas
inter Canonicos
Paderbornenses*

tunc regulares,

& Cenomanenses,

tradit:

tradit: Sanctæ fraternitatis fœdus inuicem percutiunt, & sub sacro osculo suarum orationum suffragia communicant.

*renouata
an. 1205.*

19. *Sub Bernardo III. Episcopo (qui Ottonis IV. Imp. anno 6. Christi 1203. aut 1204. Bernardo II. successit, rexitq; eam Ecclesiam annis 19. vti idem Gobelinus tradit) Canonici Paderbornenses Cenomanos rogarunt, vt fœdus illud fraternitatis secum olim initum confirmarent, missâ iis Historiâ Translationis S. Liborij, & commemoratis Ecclesiæ suæ initijs, quæ allato isthuc sancti Præsulis corpore constabilia fuerint. Ipsorum epistolam non vidimus: vulgatum nuper, cum S. Liborij Vitâ, Cenomanorum Responsum, hic visum est dare. Ex eo fit manifestum, quibus in rebus sita illa fraternitas esset: nimirum vt feruor mutuæ caritatis de igne sancti Spiritus olim accensus, quotidie conualesceret, flagraret ardentius & ignesceret; vt seruantes inuicem unitatem Spiritus in vinculo pacis & fraternæ dilectionis, vnâ sanctam communionem, prout fieri posset, & remp. haberent, consilij, auxiliij, substantiæ, voluntatis. Epistola Cenomanensium ita habet:*

de eâ Cenomanensium epistola.

20. Reuerendis in Christo Dominis, suis carissimis Fratribus & amicis, Dei gratiâ, Præposito & Decano & Capitulo maioris Ecclesiæ Paderbornensis, N. Decanus indignus, & Capitulum Cenoman. salutem in Domino, & sinceram cum deuotis orationibus & obsequijs caritatem. Summo Patri Deo, & eius
Vni-

Vnigenito cum Spiritu principali, honor & *monens, Deo*
 gloria & gratiarum actio plenius referatur, *tribuenda*
 cuius Vnigenitus plenus gratiæ & veritatis *incrementa*
 apparuit Matri nostræ Ecclesiæ primitiæ: & *Ecclesiæ*
 de plenitudine eius, quam fons vitæ in plu-
 rimas deriuauit areolas, qui fueramus prius
 steriles, fœcundati simul nunc tam loco quàm
 animo fideles, accepimus vniuersi. Hoc certè
 nascentis Ecclesiæ rudimenta poscebant, vt
 granum sinapis in arborem magnam surge-
 ret; & fermentum mulieris in tribus farinæ
 satis absconditum nouam conspersionem al-
 tius eleuaret. Sic granum frumenti mortuum
 fœnerauit. Sic Ioseph Ægyptum nobili Israë-
 litarum semine augmentauit. Quando sa-
 pientia Dei humanitus corporata radificauit
 in populo honorificato, & in electis populis
 Christianis mittens radices, vineam suam no-
 uis agricolis tradidit, & non iam labruscas à
 parricidis, sed boues Cypri à fidelibus acce-
 pit custodibus, & ex eis bibit vinum dignum
 Dilecto, labiis & dentibus ruminandum. Ex
 tunc verè vineæ florentes dederunt odorem
 suum. Sed quæ est ista speciosa inter alias, spi-
 rans ad nos odorem suauitatis? Ecce odor
 eius, sicut odor agri pleni, quem benedixit
 Dominus. Quænam, inquam, est ista tam pru-
 dens inter filias, suo tam humilis, nostro tam
 sublimis iudicio? Quomodò tam prudenter
 primordia sua meminit, & singula recolit in-
 crementa? Etiam quando erat paruula &

B

vbera

vbera nondum habens, & cum stillarent montes dulcedinem, & colles fluerent lac & mel, tam diu lactabatur, donec vidit sterilem habitare in domo matrem filiorum lætantes. Sic carissima soror nostra, à primis exorla cunabulis, ordine progreditur: & primò vnitas cordis & animæ in multitudine credentium, & rerum omnium communitas recensetur, quando sub Apostolico duodenario, septenario Leuitico ministrante, illa prior Christiana fraternitas linguâ & manu, alternis panibus, pascabatur. Cuius siquidem de medio caritatis fulgur egrediens, & scintillæ quasi æris candentis, simili zelo plurimas Ecclesias accenderunt: & sic est inter eas insolubilis germanitas confirmata, vt vnanimes passionum & consolationum participes permanerent, siue locali confinio contiguæ, siue spatiosis terrarum tractibus separata.

21. Sic prudentissima soror nostra Paderbornensis Ecclesia, stylo altiloquo & continuato sermone, matris suæ primitiuæ Ecclesiæ statum feliciorum commemorat, vt sororem commoneat, vt corda patrum in filios conuertat; vt, quod consuevit facere, ipsa doceat, quasi vtens voce & vice veræ lucis, quæ illuminat omnem hominem, dicat: Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt ardeat? Est reuerà sororis nostræ humilitas multis laudibus prosequenda, quæ suos ita dissimulat titulos, ita à se excelsa abstulit, quæ præco-

*indicant, scilicet
Canonicos
Paderbornenses
patris sui conversione
humiliter commemorata,*

Ioan. 1. 9.

Luc. 12. 49.

præconia sua alienis adscribat; & aliena incommoda suis excusat commodis & abnubit, vt illud sibi competeret: *Laudet te alienus Prou. 27. 2.*
 & non os tuum. & alterum non deesset: *Iu- Eccli. 5. 18.*
 stifica magnum similiter & pusillum. Vos reuerà, Patres Paderbornenses, magni estis vno
 & eodem pignore, nos pusilli. Vos honore nostro Diuinitas dignata est, quo forsitan fuimus nos indigni. Nostro vos estis deaurati *pro corpore*
 thesauro, nos verò, transmigrante ad vos glorio- *S. Liborij*
 so Confessore nostro & Episcopo Liborio, quasi luce aureâ, sumus forsitan obscurati. Verumtamen per diuinam gratiam nostræ
 Cenomanensi Ecclesiæ id solamnis est relictum, vt inclytum Confessorem Liborium
 & nostrum prædicare semper debeamus & vestrum. In nobis cœpit, sed vos ipse perfecit. Nos sanctificauit in terris, vobis cælestis iam
 præsidet. Nobis ad tempus est datus, vobis sine tempore destinatus. Nos corporali præsentia destituit: sed vtrisque numquàm deerit
 dono beneficij spiritualis. Quid igitur faciemus forori nostræ die isto, quando alloquenda est? Summum Patrem, à quo cœpimus, à *Cenoma-*
 cum timore & reuerentiâ filiali pariter col- *nen sibus ac-*
 laudemus in B. Liborij meritis gloriosis, cuius *cepto,*
 sacratissimum corpus, Cenom. Ecclesiâ con- *ad stabili-*
 cedente, posteaquàm Paderbornensis foror *mentum*
 nostra carissima sibi meruit, spiritualis effecta *fidei,*
 est, & Saxonica circa id locorum durities
 emollita. Hiems infidelitatis transijt: imber

persecutionis abiit & recessit: flores virtutum
& miraculorum apparuerunt, & vox turturis
audita est in terrâ illâ: maximè quando vir-
tus mirifica eximij Confessoris astruxit, quid-
quid fides Christiani dogmatis allegauit. Vo-
bis igitur, Paderbornenses, honor iste præci-
pius, & peculiaris gloria consecratur, qui Pa-
trem nostrum tanto celebratis honore, stu-
dio colitis, affectu intimo complectimini, vt
Cant. 3. 4. dicatis: Inueni, quem desiderabat anima mea;
tenui illum, nec dimittam. Cedit etiam ad cu-
gratias egis- mulum laudis vestræ, quod pro pignore tan-
to, cum vobis plurimas debeamus humiles
gratias, nobis soluitis affectum, propensius
exhibetis & offertis obsequium; nec verbis
ostendi, sed rei executione flagitatis aliquan-
do exhiberi.

22. Epistolaris continentia deinceps, quod
nos valdè audire delectat, annexit, prosperè
permanere, nec fuisse translata Sedem ve-
stræ Cathedralis Ecclesiæ, de quo rumor le-
uis nobis quæstionem mouerat & conque-
stum. Quo iam vestrâ assertione destructo, au-
ditui nostro dedistis gaudium & lætitiâ in
laudibus Saluatoris. Ad extremum verò quasi
fimbrijs aureis vestræ epistolæ iam ponendis,
acceptabiles & honestæ petitiones vestræ
quod sint apud Dominum innotescunt. Nihil
enim aliud quàm quod animarum saluti, &
honoris Diuino inferuiat, postulant: intendunt
vt feruor mutua caritatis, de igne sancti Spi-
ritus

ac petiisse
confirmari
fœdus fra-
ternitatis,

ritus olim accensus, quotidie conualefcatur, flagret ardentius & ignefcat: vt feruantes mutuo vnitatem Spiritus in vinculo pacis & fraternę dilectionis, vnam sanctam communionem, prout fieri poterit, & rem publicam habeamus, consilij, auxiliij, substantiæ, voluntatis. Insuper & epistolam vestram, cui sicut magistræ & domine hæc nostra humilis ancillatur, & librum vestrum de Trāslatione eximij Liborij, in nostris memoriter reponamus archiuis. Tertio & ultimo instantius & obnixius supplicatis: vt natalitium diem magni Patris nostri Liborij & Patroni solenni cantu & cultu celebriter illustremus.

23. Quibus siquidem postulatis gratissimo & libentissimo concurrentes assensu, gratias etiam vobis subiicimus pleniores, deuotissimo vobis animo respondentes, quod aqua nullæ nostram erga vos poterunt extinguere caritatem, nec flumina obruent eam, quam Deus verus stabiliat supra petram. Vestram verò epistolam, vel sanctissimi libellum Liborij, nulla delebit obliuio, nec oblitterabit antiquitas; sed in domo Domini, & apud nostros posteros permanebunt. Et iustus Liborius, qui apud nos floruit, Domino largiente, cultu ampliore florebit, & multiplicabitur in domo Domini beatissimi Apostoli Iuliani. Cui scilicet quartus gloriosus successit Liborius, quibus alijs, viris quoque Apostolicis, intermedijs, Thuribio Archipresbytero, & Pauacio

ac missa hi-
storiā Trāslationis

S. Liborij

petisse vs

eum cele-

brarent:

quod, gratijs
vicissim
actis,

spondent se
facturos,

*mittuntq;
Vitam S.
Iuliani,*

*Et rogant ut
Paderbor-
nenses eum
publicè ve-
nerentur,*

Archidiacono, Cenomanensi Cathedræ per ordinem præstitus. Hic enim Iulianus primus Cenomanorum Apostolus, velut Abraham Patriarcha, pater sequentium Præsulû & Cenomanensium gentium in Christo, quadam functus auctoritate Apostolicâ, usque in hodiernum diem exitit & existit missus, comitantibus illis, à B. Clemente Petri Apostoli successore. Unde fraternitati vestræ humiliter supplicat Cenomanensis Ecclesia, soror vestra, quatenus librum de vitâ ipsius eleganter exaratum, reuerenter & memoriter apud vos in perpetuum habeatis; & Apostoli nostri beatissimi Iuliani natalitium diem, sexto Kalendas Februarij, solenniter celebretis: ut qui clarus signis & miraculis regno Franciæ suffragatur, suæ quodammodò Paderbornensi Ecclesiæ & populis Saxonix (sicut per ipsum & propter ipsum facere magna potes est Dominus) abundantius suffragetur. Nosque & vos, suffulti tantis intercessoribus utriusque Ecclesiæ combinatis, Diuino munere geminato eorum suffragio, utramque stolam possimus facilius à Domino consequi in tempore retributionis, Amen. Valete in Domino, & manete in dilectione nostrâ. Data anno Domini millesimo ducentesimo quinto, pridie Kalendas Octobris.

24. *Hactenus epistola. Regebat tunc Cenomanicam Ecclesiam Hamelinus Episcopus, qui imminentis belli ac direptionis metu, anno 1201.*
corpus

corpus S. Iuliani Episcopi Castellum-Dunum
 transtulit, validam urbem & operibus & situ edito,
 vt nomen ipsum indicat: nam (vt ad 1. Februarij
 monuimus, antea à Duchesnio, Catellio alijsq;
 obseruatum) quarumcumq; vrbiu nominibus Du-
 num vox addita, quod montem sonat aut collem, ea
 alto loco posita fuerunt. Hamelinus porrò biennio
 post, sopitis iam tumultibus, Cenomanos venera-
 bile depositum reuexit, solenni pompâ, multis mira-
 culis decoratâ, vt auctor est Antonius Coruasse- *recens mi-*
 rius. Ideò fortassis Canonici Cenomanenses *raculis illu-*
 biennio post, recenti adhuc memoriâ, illius publicam *stratum;*
 venerationem suasere Paderbornensibus.

25. Excitati hac adhortatione, fraternitatîq;
 fiducia Paderbornenses, post annos octo & tri-
 ginta aliquas ipsius quoque S. Iuliani reliquias pe-
 tere ausi, alijs sepè negatas, à B. Gaufrido II. Episc.
 (de quo III. Augusti agemus) & Capitulo Ce-
 nomanensi obtinuere. propter eam, quam diximus,
 fraternitatem, ita testantibus Cenomanis in
 epistolâ, quam 27. Ianuarij ad Vitam S. Iuliani *cuius postea*
 publicauimus: Nec tamen, inquiunt, alienari du- *is misere re-*
 cimus, quod per venerabilem virum, Domi- *liquias;*
 num videlicet Suederum Canonicum ve-
 strum & fratrem nostrum, de supradictis re-
 liquijs vestræ mittimus Ecclesiæ, quam pro-
 priam reputamus. Meminere in eadem epistolâ
 sapius illius antiquæ fraternitatis: Eò quòd vos,
 inquiunt, Societatis nostræ nō immemores nos
 per litteras & nuntium visitastis. ac deinde: ve-
 stræ namque & nostræ Ecclesiæ fraternitatis

24 VITA S. LIBORII PATRONI
vnitatem, quam deuotis brachijs amplexa-
mur, desiderio desideramus perpetuo, mu-
tuoque ac irrefragabiliter obseruari.

*similem in-
eunt socie-
tatem cum
Andega-
uensibus
an. 1256.*

26. *Eiusdem societatis meminit vetus Regi-
strum Ecclesiæ Cenomanensis, in quo hæc ha-
bentur:* Initum est fœdus, seu societas, inter
Cenomanensem & Andegauensem Eccle-
sias, Theobaldo Luxemburgio Episcopo Ce-
nomanensi, Sixto IV. Pontifice Maximo, Fri-
derico III. Austrio Imperatore Romano, &
Ludouico XI. Francorum Rege: vt patet ex
litteris de die decimâ tertiâ mensis Aprilis
post Pascha, anno Domini millesimo qua-
dringentesimo secundo. Quæ quidem socie-
tas inter easdem Ecclesias iam antè inita fue-
rat, vt videre est in antiquis diplomatibus,
quæ habentur in libro albo, anno scilicet Do-
mini 1256. Similis societas est cum Ecclesiâ
Patrobrunensi in Saxonîâ, quam inierunt
DD. Aldricus Cenomanensis & Baduradus
Patrobrunensis Episcopi anno Domini 836.
Ludouico Pio Imp.

*ac renouant
an. 1472.* 27. *Hæc ibi. Apographum ad nos missum habe-
bat, litteras de eâ cum Andegauenibus societa-
te exaratas fuisse anno millesimo quadringen-
tesimo secundo, quod cum ceteris non congruit:
restituendum millesimo quadringentesimo se-
ptuagesimo secundo. Nam Sixtus IV. an. 1471.
9. Aug Pontifex creatus est, anno Friderici III.
32. Ludouici XI. Gallix Regis 11. Theobaldus
anno circiter 1468. factus Episcopus, obiit Kalen-
dis*

dis Septembris an. 1477. Erat tunc Andega-
uentis Episcopus, cùm illa renouata societas est,
Ioannes de Bellâ-valle, vt videre est apud Clau-
dium Robertum. Cùm verò primùm facta fuit
an. 1256. Ecclesiam Cenomanensem post B.
Gaufredum gubernabat Guilielmus Rolan-
dus; Michaël Auis Andegauensem.

§.V. S. LIBORIYS *calculo laborantium*
Patronus.

28. **Q**Vâ religione atque alacritate populorum
inuectus Paderbornam Liborius est,
eadem deinceps palàm ac priuatim honoratus, voca-
tusq; in vota. Neque spem deuota sibi gentis, accola-
rumq; pietatem destituit, quin Numini ea sibiq;
probari frequentibus miraculis testaretur. Eidem
facit Auctor antiquus, qui Vitæ illius lib. 1. c. 5.
num. 18. cùm multa Cenomanis ad eius sepul-
chrum edita dici prodigia retulisset, ista adijcit:
Quod nos facilè credimus, ex his quæ oculis
nostris videre meruimus, postquam ad nos
translatum est corpus. At lib. 2. c. 9. n. 40. Cum
tali honore, inquit, sacratissimum corpus in
Ecclesiam delatum; & in loco in quo hacten-
us requiescit, collocatum est. Vbi quantis
postmodùm miraculis effulserit, quanta sani-
tatum dona præstiterit, alibi dicenda refer-
uamus.

*Miracula
Paderbornæ
facta,*

29. An ea alio deinde libello sit complexus, aliùsve
post ipsum, nobis haud constat. Sed cùm ciuitas Pa-

*deperdita:**recentiora:**Liborij frequens ibi nomen:**altaria ei dicata:*

derbornensis, *vt in Vitâ S. Meinwerci Episc. v. Junij memoratur, anno Christi 1000. Ottonis III. 17. Indict. 13. incendio vastata sit, quo & nobile principalis Ecclesiæ Monasterium, præcipui operis & decoris, à Karolo Magno fundatum, à beatæ verò memoriæ Badurado Episcopo consummatum, & xiv. Calendas Nouemb. dedicatum, cum libris, priuilegijs plenarijs, alijsque Ecclesiæ ornamentis conflagrauit; facile euenire potuit, vt ea quoque miracula, si mandata litteris erant, perirent. Quæ verò postea contigere, vel omnino scripta non sunt, vel per-dita, vel vsquam ignorabilibus scrinijs abdita. Nam Albertus Krantzius Decanus Hamburgensis, qui 600. post scriptorem illum annis vixit, Metropolis lib. I. cap. 28. vti supra §. 3. nu. II. diximus, testatur celebrem eius ad sua vsque tempora memoriam extitisse, quod crebra in populum beneficia contestantur, inquit, ac merentur.*

30. Hinc clarum eo tractu Liborij nomen, quod quamplurimi gerunt, appellanturque Teutonicè Borris, aut ad blanditias, præsertim cum adhuc paruuli sunt, formâ diminutiua, Borrisker. Neque enim S. Borissus, Wlodomiri Magni Russorum Regis filius in ijs regionibus notus. Dicatum eius nomen in Collegio Societatis IESV Paderbornæ oratorium, siue sacellum est; atque sub Cathedralis basilicæ turri altare. Ad venerandas eius reliquias magna hominum confluit Paderbornam multitudo, tum aliàs per annum, tum præsertim quibus diebus ea per urbem circumferuntur, ac solennes

solennes habentur supplicationes. In his verò sup- *reliquia cir-*
plicationibus ante feretrum, cui eius reliquia- *cumlata,*
rum theca *imposita est,* cauda panonis ab Sa-
cerdotum aliquo gestatur. Cuius ritus, haud alibi
(quod quidem meminerimus) obseruati, assequi adhuc
causam non potuimus. Specie quadam magnifi- *ritu singu-*
centiæ, à maioribus vsurpatū coniectant sagaciores *lari,*
quidam: alij à quopiam euentu manasse. Neque causa
est, cur illud siue auitæ simplicitatis, siue celebris
olim facti, eatenus iam obliterati, monumentū ab-
rogetur. Fuere porro Reliquiæ S. Liborij antea in- *in eleganti*
clusa intra capsam ex ære affabrè factam, tumbæ *capsa,*
ferè specie, atque inauratam, ornatamq; circum à *Coss. ge-*
duodecim Apostolorū argenteis statuis. Eam *statu:*
in supplicatione Consules aliique primarij è Se-
natu (vii hîc Antuerpiæ statuam Deiparæ) ge-
stare consueuerunt. Verùm nuper Lutherana discipuli-
nâ deprauati, id onus, velut indecorum aut supersti-
tiosum, excussere; quibusdam viris pijs mala, quæ his
annis plurima vrbi euenere, palàm ominantibus. Eâ
autem tumbâ à Christiano Brunswicensi ab-
latâ ac laceratâ, vt infra dicemus, alia ex argento,
pretiosa & elegans restituta. Reliquiæ eius aliqua iam *Reliquia*
olim collegio S. Castoris apud Confluentes donata, *Confluentia.*
& ex Christophori Bravveri nostri libro xv. Anna-
lium Treuirensium patet, vbi anno MCCVIII. factam
eius basilicæ dedicationem refert, inq; Reliquiarum,
quæ in maiori altari continentur, catalogo, ista ha-
bet: De Sudario S. Thomæ Ep. & M. Cantua-
riensis, & S. Liborij Episcopi, & aliorum mul-
torum Sanctorum.

patrociniū
contra cal-
culi dolores:

id indicans
imago:

Wernerus
Archiepisc.
Mogunt. sa-
natus.

31. Nephriticis potissimum doloribus remedium, S. Liborij patrocinio, queritur. Quam ad rem S. Benedicti opem alij implorant, qui S. Henrico Imperatori in somnis calculi dolores, quibus cruciabatur, in perpetuum abstulit: alij S. Drogonis, cuius in Seburgo vico iuxta Valencenas corpus asseruatur. Celeberrimum, in huius curatione morbi, est S. Liborij nomen, ut infra pluribus patebit. Eam ob causam ita illius effingunt imaginem, ut pedum dextrâ teneat, læuâ librum, cui aliquot calculi superpositi.

32. Præfens S. Liborij auxilium expertus olim Wernerus Archiepiscopus Moguntinus, qui, ut scribit Serarius noster, ab anno 1260. ad 1284. sedit, atque auctor Germanis Principibus, Rudolphi Hasburgici ad Imperium euehendi fuit. De eo ista habet Gobelinus cap. 67. Eo tempore Wernerus Archiepiscopus Moguntinus visitans reliquias S. Liborij in Paderborn, meritis eiusdem Sancti, ibidem à calculo liberatus est, Vnde contulit, manus porrigentibus adiutrices ad reformationem ipsius Ecclesiæ Paderbornensis, de prouinciâ Maguntinâ existentibus, XL. dies indulgentiarum, anno MCCCLXXVII. Cæperitne primùm ex eo tempore contra calculi molestias inuocari S. Liborius, quia eum veneratus leuamen senserat Wernerus; an quia iam antè subuenire eâ aegritudine laborantibus soleret, ad illum deprecandum is accesserit, haud temerè decernimus.

33. Antiphona extat & precatio in vetustissimis

simis rituum sacrorum Breuarijs, quâ S. Liborij
 aduersus hæc mala auxilium exoratur. Eam censent ^{vetus ad}
 Paderbornenses ex Galliâ cum omni Ecclesia- ^{eam rem}
 stico, quo is colitur, officio, allatam; vt istic antea ^{oratio.}
 nephriticorum dolorum curatione celebrem ex-
 tuisse oporteat: cuius rei nulla apud Cornasse-
 rium mentio. Antiphona porro in antiquis tuis
 manu exaratis tum excusis libellis precum, ita re-
 fertur:

Ad S. Liborium Episcopum, à calculosis
 specialiter honorandum, Oratio.

Christi Præsul egregius
 Pro nobis hic Liborius
 Oret Deum altissimum;
 Ne pro culpâ peccaminum,
 Morbo vexemur calculi:
 Succurrant nobis Angeli,
 Et post vitæ certamina
 Ducant ad vera gaudia.

ψ. Ora pro nobis pie Pater Libori.

℞. Vt à calculi mereamur doloribus liberari.
 Collecta. Deus, qui B. Liborium, Pontificem
 tuum, aliâs innumeris gloriosum miraculis,
 speciali in medendis arenarum & calculi pas-
 sionibus priuilegio decorasti; præsta, quæsu-
 mus, vt ipsius meritis & intercessione, his
 alijsque malis eruti, gaudijs perfrui merea-
 mur æternis. Per Christum Dominum no-
 strum. *Variat nonnihil, quæ nuper cum eius ima-
 gine cusa est oratio. Nam Responsorium ita
 habet: Vt à calculi doloribus mereamur erui.*

Col-

Collecta verò: Deus; qui B. Liborium Pontificem alijs innumeris clarum miraculis, speciali in medendis vrinarum & calculi doloribus priuilegio decorasti; tribue, quæsumus, vt, eius meritis & intercessione, ita ab ijs & alijs malis eruamur, vt gaudijs perfrui mereamur æternis. Per Christum Dominum nostrum, Amen. *Breuior aliquantò Collecta, è vetusto Breuiatio Treuirensi, inferius recitatur in Historiâ secundæ Translationis, per Ioannem Carolum Erlewinium descripta.*

§. VI. *Capta à Christiano Brunsvicensi Paderborna: ablata S. LIBORII Reliquia.*

34. **N**emo Germanorum hæreticorum pro Frederici Comitis Palatini, & regno Bohemiæ, quod iniuste occuparat, & mox proprijs ditionibus exturbati, defensione, arma sumpsit turbulentiore, simulq; infelicioire conatu, quàm Christianus Frederici Ulrici Ducis Brunswicensis frater, episcopatus Halberstadiensis Administrator. Erat huic magnanima indoles, tam excelso digna genere; verum eadem nimis facilis, aptaq; circumueniri, præsertim cum apud Batauos, sub quibus militaris artis tirocinium posuerat, alè Caluianorum præceptiones, & religionum ac iuris despicientiam imbibisset, vt iam tum apud hæreticam plebem, dictæ assuetam, Furiosus Episcopus audi-

*Christianus
Brunsvi-
censis pro
Palatino
exule mo-
net arma:*

audiret: quod agnomen illi deinceps apud Belgas Germanosque adhasit.

35. Hic ergo anno Christi MDCXXI. equitum ac peditum non exiguas copias in VVestphaliâ ac vicinis locis collegit: salutatoque Mauritio Principe ^{terras Mo-} Arausicano, fœderatarum Belgij prouincia- ^{guntini in-} rum Governatore, & consiliis ab eo (vt creditum ^{uadit:} fuit) acceptis; Octobri mense per Hassiam versùs Palatinatum contendit, Mansfeldio copiarum Palatini ductori opem laturus. In Archiepiscopi Moguntini ditiones primùm irrupit, captoque per fraudem Amœnoburgo oppido, latè cædes colonis, pagis ignes, vastitatem agris intulit; vt erat ipse temerarius, miles eius crudelis, & omnis ignarus discipline.

36. Verùm aduentante cum validâ manu An ^{repulsus,} holtio Comite, inde profugere coactus, retro in VVestphaliâ flexit: vbi Lipstadium, prodenti ^{VVestpha-} bus Hispanicum presidium ciuibus, cepit, mox & ^{liam vastat:} Susatum. Tum per diœcesim Paderbornensem ac Monasteriensem latè rapinis ac cædibus grassatus, minora alia oppida & arces, ipsamque tandem Paderbornam occupauit, die xxix. Ianuarij anno ^{Paderbornâ} MDCXXII. tradentibus eam ciuium primoribus ^{captâ,} hæreticis. Hic ille Iudæorum primùm bonis publicatis, ciuium etiam (quæ merces esse proditionum solet) à quibus in urbem erat admiffus adscitusque, ades expilari à milite fuit. Tum in Cathedralem ba- ^{ecclesiam} silicam ingressus, maiorum pretiosa donaria & ^{expilata} ornamenta diripuit, ipsamque, cui S. Liborij inclusa ossa erant, captam, de quâ suprâ egimus. Hanc ille

ille complexus (an vt presentem Diuum irrideret, quemadmodum nonnulli tunc interpretabantur, an iuueniliter fortuna sua applaudens, non quero) fertur certè quidem salutasse, & quòd se tanto tempore expectasset, gratias egisse: eam deinde confregit, & nummos ex materiâ cudi iussit. Gaspar Ens aliq³ Scriptorum, statuam S. Liborij ex solido auro direptam ab eo tradidère: quam Iulius Bellus in Laureâ Austriacâ, & Ioannes Petrus Lotichius Rer. Germanicarum lib. xi. pondo LXXX. pependisse asserunt: & hic quidem addit, Brunswicensem statuæ humero auulso, truncum reliquum curasse in monetam conflare. Quæ, Paderbornensibus ignorata, vnde illi acceperint, haud scio.

S. Liborij
capsam con-
fringit,

non sta-
tuam:

Patrum So-
cietatis IESV.
SV.

37. Ita Halberstadius, aut potiùs, qui eius facilitate abutebantur, nefarij eius commilitones, in res sacras; nec mitiùs in rerum sacrarum curatores defensoresq³, Ecclesiastici ordinis viros, furorem exercuerunt. Et Canonici quidem ingenti pecuniâ multati. Aduersus Patres Societatis IESV (quam hæretici, quippe ad ipsorum retegendas fraudes, ac flagitia reprimenda, datam à Deo militiam, præcipuè persequuntur) crudelitatem illi suam acuerant: quam ne totam effunderent, ipse fortassis potissimùm S. Liborius vrbis patronus, celeste certè auxilium, intercessit. Hermannus Bauingius, Collegij atque Academiæ, illic à Theodorico Furstenbergio Episcopo constituta, Rector, (qui etiamnum, dum hæc scribimus, in viuis est, optimus senex) gnarus qui hæreticorum furor, quàm ferale in sacros

sacros homines eorum odium esset, Theologiæ
Philosophiæque auditores & Professores, ali-
quot diebus antè, ad alia Societatis domicilia, va- aliqui antea
rijs portis vijsq; dimiserat, agrè quidem elapsos è ci- vrbe egressi,
uuum manibus, vrbis portas custodientium, & hanc
Duci prædam reseruare cupientium, beneuoli in il-
lum animi pignus. Ipsemet deinde Rector, suorum in viâ malè
consilio coactus, cum aliquot socijs, vrbe quoque ex- multatis
cessit. At non euasit prædonum, quos fugiebat, ma-
nus. Nam Saltzuffelæ, amico oppido, in Comitatu
Lippiensi, à Godscalco Herwinckelio Hal-
berstadij centurione captus, & coniuente hæ-
retico senatu, grandi lytro multatus; eo dein per
amicos præstito, per varia pericula, demum Mona-
sterium peruenit.

38. Haud paullò grauiora perpetienda fuère ijs,
qui Paderbornæ in collegio remanserant, apud
ipsum S. Liborij corpus: nam hoc ceteraq; Ecclē-
siæ maioris & aliarum spolia, in collegium no- alij domi
strum conuehi Halberstadius iusserat. Erant istic reperiti,
Sacerdotes aliquot senio doctrinâq; conspicui; ac
Fratrum Coadiutorum, qui externa opera ob- coquo exce-
eunt, vnus, artis culinariæ, pinsendiq; vnice peritus; pro,
quod ei collegioque saluti fuit: siquidem Hal-
berstadius eius operâ ingenioq; delectatus, colle-
gium ei (si fas est) donauit. Ceteri catenis vincti, carceri
Lipstadium abrepti ad dirum carcerē: vno dimisso mancipati,
cum publici commeatus litteris, vt multorum mil-
lium summam, vitæ captiuorum sociorum seruandæ,
flammisq; à collegio, scholis, templo arcendis
conquireret. Et corrogauit ille quidem religiosâ sim-
plici-

placitate daleros mille : quibus Lipstadium allatis, irritata potius illarum harpyiarum, quàm sedata est fames. Iterum ergo emissus, non sine presenti vita discrimine Monasterium venit : ubi varijs frustra tentatis, iussus est tandem à Rectore suo istic subsistere, quidquid in captiuos ac domum hostibus permittere visum Deo esset.

39. Et domus quidem, excussis fenestris, direptoq³ omni domestico instrumento, præter bibliothecam, que in cistas compacta, aduentu Catholici militis, macerati in abripi non potuit, seruata est : illi cum S. Liborij corpore per varia circumducti, tandem ad Hochstum oppidum, profligato Halberstadij exercitu, cum prædâ Ducis in Cesareanorum venerunt potestatem, fame, nuditate, squallore confecti, ac vermibus vndique obsiti, & Moguntiam dimissi sunt : cum prius victores lytri, quod ab ijs exigebatur, ius in se solenniter transtulissent, ad actionem hostium, si quæ aliquando intentaretur, elidendam ; ac dein id ipsis lytrum condonassent. Sed hæc quadrimestri post gesta. Nunc ad Ducem reuertamur.

40. Halberstadiani eo, quem diximus, successu elati, quæ iam in religiosos homines ac sacra per Westphaliam perpetrarant, publico symbolo insolens ex-lustrare, atque orbi, quo ea animo fecissent pateface-re tunc mo-re voluere. Nummos enim cuderunt ex auro argentoque, insolenti planè & execratâ formâ : nam facie vnâ manus expressa erat, velut protensa è nubibus, strictum gladium vibrans, circum CHRISTIANI adscripto nomine : in auersâ parte feralis epigraphæ inerat : DEI AMICVS, MYSTARVM HOSTIS.

§. VII. Chri-

§.VII. *Christianus Brunsvvicensis aliq̄
sacrilegi puniti: recuperata
S. LIBORII reliquia.*

41. **V**Indicem superba crudelitas dexteram
Numinis prouocabat, quæ Duci paucis post
mensibus manum brachiumq̄, abstulit, mox & vi-
tam, ingenti aliquoties suorum clade, vt resipisceret,
admonito. Nam cum maiorem quàm antè exerci-
tum conflasset, non magis auro emptum, quàm spe
prædæ ac rapinarum illectum, in quo etiam No-
bilitas Anglicana ad 300. capitum numerum reper-
ta est; Ferdinandus Bauarus Elector Colo-
nienſis, idemque Paderbornenſis & Monaste-
riensis Episcopus, vt prædonem è suis ditionibus
maturè excuteret, Anholtium è Palatinatu cum
expedito milite euocauit, cui & copias suas aliquas
iunxit. Eò quoque ab Isabellâ Clarâ Eugeniâ
Catholici Regis amitâ, Belgicarum prouinciarum
Gubernatrice, missus cum delecto exercitu Henri-
cus Bergius. Sed hunc vt domum reuocaret Mau-
ritius, ne is vel Halberſtadium fortassis opprime-
ret, vel precipites eius conatus moraretur, Henri-
cum Fredericum fratrem suum iussu cum ali-
quot equitum ac peditum millibus, Diliâ amne Lo-
uanium inter ac Mechliniam traiecto, prædas per
Brabantiam agere, ipsiq̄, adèò Bruxellæ terrorem
ostentare. Et processit vtrumque consilium: nam cum
plures pagos Nassouius incendisset, suos agresti præ-
dâ onustos, quarto die Bredam reduxit, quòd & co-
pias aliunde è præſidiis Spinola, qui Bruxellæ tunc

erat, & ipsum è Westphaliâ Bergium reuocâ-
 rat. Illius tamen metu Gisekenæ obsidionem iam
 è Westphaliâ discedit: deseruerat Halberstadius: ac tunc Visurgi ad
 Hoxariam oppidum transmissio, minacibus ad Her-
 bipolensem Episcopum exaratis litteris, in Eichsfel-
 diam Moguntino subditam mouit, eamque dirum
 in modum populatus, in Fuldensis quoque Abbatis
 irrupit ditionem, è quâ ingentem pecunie summam
 exegit: inde ad Mœnum, clade, quam suprâ indi-
 cauimus, nobilitandum, peruenit.

Reliquias
 S. Liborij
 secum au-
 fert:

vincitur à
 Cordubâ &
 Tullio:

42. S. Liborij reliquias (quod mirum) secum
 perpetuò hætenus circumuexit: an ut de ijs veluti
 triumpharet homo sacrilegus, an Westphaliæ infe-
 riorisque Saxonia odia veritus, si vsquam abiiecisset,
 quod ipsorum maiores ante octingentos annos vnâ
 cum Christianâ religione susceperant à Gallis pi-
 gnus, an ut cupiam Catholico Principi, quod fecit,
 eas, gratiam sibi illius conciliaturus, donaret; an
 etiam, ut potius reor, quia aliquâ adhuc tangeretur
 religione, dubitatum à multis memini. Hochitto op-
 pido, ad dexteram Mœni amnis ripam sito, potitus
 cum esset, solitâ crudelitate in ciuium cade bacchari
 militem passus est, ac circumiacentes Moguntinae di-
 tionis pagos & oppida pleraque flammis absumere.
 At dum Mœno pontem imponit, superueniunt Til-
 lius & Gonsaluus Corduba, iunctis Boicis &
 Hispanicis copiis, quibus non multò antè Durlachij
 Marchionis exercitum profligarant. Ausus, vel po-
 tius coactus, improuisò cum ijs concurrere Halber-
 stadius; victus, & castris oppidoque exutus, vix cum
 paucis millibus, quæ de tanto exercitu superfuerant,
 ceteris

ceteris vel hostili ferro, vel flumine haustis, ad Mansfeldium euasit, qui ei ad Darmstadium obuiam venit. Eò quoque S. Liborij reliquias, cum aliquâ argenteâ supellectile, secum traxit. Substitère Hochsti Paderbornenses captiui, qui, vt supra diximus, immeritis vinculis exempti sunt, Moguntiamque dimissi à Corduba ac Tillio.

43. Mansfeldius dein & Halberstadius, cum Mansfeldio Lotharingiam
 cum defendi Palatinatum suis copijs posse despera-
 rent, in Alsatiam profecti sunt, vias incendijs & ma-
 lesactis notantes. Ex Alsatia per Lotharingiam, transit,
 neque tam celeriter quam cauerat Dux, neque in-
 noxiè, deduxère Sedanum copias; territis Gallis, &
 raptim contrahentibus quas poterant copias, ne, Rege
 alibi aduersus hereticos bellum gerentè, impressio-
 nem in eius prouincias facerent, quod suadere Dux
 Bullonius, Sedani Princeps, Caluimianus, credeba-
 tur, Verùm ab Arauficano Principe inuitati, in
 Belgium descendere; vt eorum ope Berga ad So-
 mam, quam Spinola obsidebat, liberaretur. Han-
 noniam celerrimè pertransuère, ne concurrere ad
 arma prouinciales possent, eorumque iter morari: ea-
 dem causâ, aut certè Isabellæ Eugeniæ Guberna-
 tricis reuerentiâ, nusquam incendia miscuère, ac nihil
 propè vsquam maleficij intulère: ne diripuère quidem
 pietas tabulas, quæ Mariæ montij in palatio regio
 erant. Quæ humanitas Mansfeldij potiùs quam
 Halberstadij fuisse tum ferebatur.

44. Tandem xxviii. Augusti ad Fleruuium
 pagum, non procul Gemblaco oppido (quod veteri-
 bus Geminiacum erat) confedere. Nec longè ab ijs

ad Fleru-
uium vi-
cium

iterum pra-
lio vinci-
tur à Cor-
dubâ,

Corduba, & ipse maximis itineribus, vbi constitit eos Belgium petere, per Luxemburgiam insecutus. Postero die, qui sacer erat Decollationi S. Ioannis Baptistæ ambo exercitus prima luce prælium inière, quod ad plures horas infestis vtrimque animis protractum. Regium Equitatum, ac legionem Hispanicam, quam, improbante Balthasare Santandero Cordubæ Legato, nimum Chiliarcha suus Franciscus Iuara promouerat, perculit nonnihil hostilis equitatus ipso Iuara interfecto. Ad extremum, aliquot millibus suorum desideratis, fugam capessunt seruatis tamen vtcumque ordinibus. Misus, qui prælio non interfuerat, Gaucherius equitum leuis armaturæ Tribunus, qui recedentibus instaret. Credebatur Henricus Bergius, si obuiam è Gelriâ venisset, potuisse illius exercitus reliquias conficere. Corduba, non incruentâ partâ victoriâ, aliquot dierum indulsit militi suo quietem, inde eum ad castra Spinolæ adduxit. Miror Ioanrem Petrum Lotichium Rerum Germanic. lib. 12. cap. 4. §. 4. scribere, Brunswicensem victoriâ potitum, magnam porrò, sub fugâ Hispanorum, stragem edidisse, impedimentis, tormentisque bellicis, magnâque pecuniarum vi, spoliisque insuper Palatinatus in potestatem redactis, Bredamque delatis. Tota serè eius ac Mansfeldij victoria fuit effugere. Plurimi eorum milites ab rusticis deinde, dum ignari viarum, præcipuè per ditionem Leodiensem, diffugiunt, trucidati. Qui saucij, quiq; ægri in Regiorum manus venerunt, plerique curati in nosocomijs, vbi conualuère, gratis dimissi.

45. Halberstadius, qui S. Liborij corpus in Lo-
 tharingiâ illustri viro, vt pòst dicetur, donârat, in iectâ,
 hoc prælio vltorem expertus est Deum. Etenim ei ma-
 nus, quam in numismate aduersus Sanctos exerue-
 rat, glande plumbeâ traiecta, via labore ac iactatio-
 ne malè curata, gangranam contraxit, vt brachium
 quoque recidi oportuerit. Neque verò vt Hollandico
 exercitui hic adiunctus est miles, absque morâ atque idcir-
 Bergæ obsidionem dissoluit Spinola, vt idem cò reciso
 asserit scriptor: sed quarto demum die Octobris, cum ^{brachio;}
 euocatus cum suis copijs Bergius, vt Ducum non-
 nemo prædixerat, tardiùs aduentaret; relictâ vrbe,
 Mauritio obuiam progressus, aciem in latissimè pa-
 tentibus campis explicuit. At satis Mauritio cum
 esset vrbe seruisse, prælium declinauit.

46. Anno insequenti rursus numerosissimum ^{rursus con-}
 exercitum conflat in inferioris Saxonie prouincijs flato exerci-
 Halberstadius. Idcirco in eas quoque oras Tillius ^{11,}
 mouit: quem ille opperiri minimè ausus, in VVest-
 phaliam, ac Rhenum versùs, celeriter discessit. Pari
 celeritate secutus fugientem Tillius, sæpius extre-
 mum agmen carpsit. Instruxit ille non semel aciem:
 quod cum & Tillius fecisset, illicò elabebatur. Ve-
 rùm coactus tandem, assiduè à tergo vrgenti, Tillio
 præbere pugne copiam, die VI. Augusti MDCXXIII.
 maximè memorabili clade, ad Stadlonam West-
 phaliæ vicum, profligatus est. Tillius vix centum
 quinquaginta suorum amisit, fassus ne ad Pragam
 quidem an. MDCXX. VIII. Nouembris, tantam iterum vni-
 fuisse hostium cadem, ipseq; suis, cum iam Dux ^{citur à Tib-}
 cum aliquot expeditiorum equitum turmis elapsus ^{lio;}

esset, ferro ut parcerent, edixit. Peditum, qui ad 20. millia censebantur, pars maxima interempta: ceteri capti, ad quinque millia; sed mox plerique dimissi, exuti armis & nisi ad portas Monasterienses à civibus, ac Religiosis presertim, cibo potuq; recreati essent, ipsos quoq; fames aliq; miseria confecissent. Equitatus plusquam dimidia pars evasit. Cæsareis cessere signa plurima equitum & peditumq;, tormenta omnia, ac commeatus vis ingens. Tanta illius victoria letitia in Belgio fuit, ut in multis vrbibus sit festiuis ignibus ad plures dies triumphatum.

47. Halberstadius cum Embricam ad Araucanicum venisset, post dies aliquot collegium, quod in eâ vrbe à Clivia Ducibus fundatum habet Societas I E S V, inuisit, cum multo nobilium comitatu, ac nostros humaniter consalutavit: cumq; de nupero praelio sermo incidisset, ingenuè fassus est, clades eas sibi euenisse ob S. Liborij contemptum, ablatasq; Paderbornâ eius reliquias: Si bonum illum senem, inquebat, suo loco quiescere siuissimus, feliciter pugnassimus. Non ideò tamen pristinam omnem ferociam exuit, quin identidem bellum renouaret. Donec tandem anno MDCXXVI. die XVI. Iunij febre extinctus est. cum quatrduo ante vermem è corpore eiecisset quatuor cubitos longum, latum digitos duos. Dissecto à medicis cadauere, cor exile & contractum repertum, fel magnum, cetera illaesa.

moritur:

48. Hic Halberstadij exitus fuit. Neque ceteri eius impietatis hortatores atque administri caelestem vindictam euasere. Nam, ut omittam militum eius
sepulchris

agnoscit Dei
vindicam
ob S. Liborij
iniuriam:

sepiùs iteratam internecionem, coactis qui superfuê- ^{puniuntur}
 re, ab eorum, quos ad necem depoposcerant, misericor- ^{eius milites,}
 diâ tolerandæ vitæ præsidium emendicare; prodition-
 nis suæ odijq; in Catholicos luculentam mercedem
 tulerunt Paderbornenses heretici, ab ijs ipsis, quos in Paderbor-
 urbem suam admiserant, suorum errorum socijs, spo- ^{nenses,}
 liati & exhausti, & Catholico dein exercitui, nudi
 obiecti ad ultionem. Saltzuffelenses verò restitutâ ^{Saltzuffe-}
 re Catholicâ, 300. daleros, quos ipsorum coniuven- ^{lenses,}
 tiâ, violato hospitij iure, Halberstadiani à Patribus
 Societatis extorserant, referre ad collegium Pader-
 bornense coacti sunt; sibi gratulantes, quòd eorum-
 dem Patrum intercessione, nihil grauius, vti com-
 meriti erant, in eos esset constitutum.

49. Godscalcus autem ille, qui eos contra ius ^{Godscalca}
 gentium in captiuitatem traxerat, & eorum obuèn- ^{centurio,}
 tura de celo vindictæ minas risu facerijq; contem-
 pserat, multiplicibus infortunijs à Deo multatus, &
 incurabili percussus languore, ex militiâ reportari
 domum debuit, vt Saltzuffelensibus ciuibus suis
 egregium Diuine vindictæ spectaculum daret. Inde
 ille à Rectore Paderbornensi, iam in collegium suum
 restituto, incendijs, quæ patiebatur, restinguendis
 cereuisiam petiit, misit, sperans se illâ subleuari
 posse. Misit ei Rector, iniurias hoc beneficio mu-
 nerans, vasculum octodecim circiter amphorarum.

Quod ad S. Liborium propriè pertinet; qui pri- ^{impus}
 mus in basilicam Cathedralem, captâ Paderbor- ^{eques,}
 nâ, equo ingressus erat miles, is sub exitum anni
 MDCXXIV. Neuhusij ad Paderæ Lupiæque
 confluentes, captus, atque ob id aliq; crimina, sup-
 plicio

*sed ante
mortem
conuersus:*

plicio affectus est. Visit captiuum Sacerdos è Socie-
tate, & ferocem ac barbarum hominem induxit, vt
fidem Catholicã amplecteretur, ac magno sensu pie-
tatis mortem lubens pro scelerum suorum expiatione
oppeteret, altè in animum demisso æternorũ suppli-
ciorũ metu, ex tormentorũ inter fidiculas toleratorũ
memoriã, nostro identidem illa efficaciter inculcante.

*S. Liborij
Reliquia
quæ sita,*

*inuenta ac
relata ab
Erlewinio;*

*(qui histo-
riam scri-
psit,*

*& S. Liborij
gloriam de-
fendit)*

50. At Paderbonnenses Canonici de sancti Pa-
troni sui corpore, vbi terrarum illud abiectum re-
lictũmve ab Halberstadio esset, inquirebant,
vnà cum Serenissimo Antistite suo, ac plurimos in
varias plagas nuntios, reliquias peruestigatum, di-
miserant. Primus vbi ea attinerentur, Electori indi-
cauit vir nobilis, Ioannes Carolus Erlewinus,
Ordingæ oppidi, castriq; Linnenensis in diocesi Co-
loniensi Prætor; quem ad eas ab Ottone Philippo
Ringrauius eiusq; coniuge repetendas Elector alle-
gauit. Idem postea summâ fide & breuitate, quo pa-
cto eas Ringrauius acceperit, ac honorificè habue-
rit, ipseq; ab eo obtinuerit, ad Electorem Germanicè
scripsit. Quem eius commentarium, vel epistolam,
Latine vertit, ac nobiscum communicauit Ioannes
Grothusius noster.

51. Idem porro Erlewinus S. Liborij Vitam
ac gloriam in aliquot digestam capita, opposuit in-
fami ac sacrilego scripto, quod hæretici eodem tem-
pore in S. Liborij opprobrium, ediderant, typis Hol-
landicis ac sculpturâ elaboratum. Digesta erat Er-
lewinij Liboriana gloria in capita omnino de-
cem: prioribus quinque vita omnis ac sepultura
S. Liborij continebatur: sexto ac septimo Eleuatio
&

& Translatio: octavo Paderbornæ expilatio, ablata
 reliquia, Halberstadij insolens moneta, clades: nono
 in arce Neouillariensi impensus honos reliquijs à Rin-
 grauij familiâ & accolis, quorum multis collata di-
 uinitus beneficia sanitatis, aliâque: decimo eadem per
 Erlewinium recuperatæ, Ecclesie suæ restituta, in-
 tra pretiosam condita ex auro atque argento thecam,
 quam pretio octo millium aureorum, fieri curâ- pretiosa the-
 rat Wilhelmus à Westphalen, illustri genere vir ca. incluse.
 ac dignitate, Archisatrapa diocesis Paderbornensis,
 ac legionis vnus in Catholico Principum exercitu
 Tribunus.

53. Ist hæc porrò cœpta anno MDCXXII. cùm è
 Palatinatu abiisset in Belgium cum Mansfeldio
 Halberstadius, atque hic brachio, vt retulimus, es-
 set truncatus: peracta demum anno MDCXXIII. post Reductionis
 Procerum Imperij conuentum Ratisponæ habi- anniuersa-
 tum, in quo Maximilianus Dux Bauariæ Elector ria memo-
 à Cesare renuntiatus, abdicato Palatino. Et quidem, ria 28. Oct.
 vt infrà ex ipsius Erlewinij epistolâ patebit, die xv.
 Iunij in fines Vbiorum reportata reliquia sunt. Ve-
 rùm Ecclesie Paderbornensi non nisi quatuor post
 mensibus restituta. Consignata rei memoria in re-
 centi Kalendario ad diem xxviii. Octobris, his
 verbis: Reductio reliquiarum S. Liborij.

S. VIII. S. LIBORII *Reliquia*
Ameriam deportata.

Ameriam
urbem an-
tiquam,

& præclaris
alumnis ce-
lebrem,

54. **A**Meria vrbs est Vmbriæ, longè ante urbem Romam condita, nec vana ostentans argumenta vetustatis, murorum partem, ac fundamenta edificiorum: ceterùm ipsa in colle sita, optimo circum agro, ad Tiberis ripam vtramque diffuso, olei, vini, ac tritici ferace. Sed maior ab ipsis ciuibus gloria. Testatur Leander Albertus, præclara ingenia tam multa nomen Ameriæ nobilitasse, vt omnium commemoratio longissima foret. Vt enim omittam prudentiæ, pietatis, atque eruditionis opinione clarissimos nuper Antistites, Marianum Victorinum, Bartholomæum Ferratinum Cardinalem, eiusq; patrum Baldum Ferratinum; non vno loco laudatus à nobis in nostro de Sanctorum Actis opere est Antonius Maria Gratianus è Burgo Sancti sepulcri, Episcopus Amerinus. qui inter alia doctrinæ suæ monumenta, res gestas illustrauit S. Secundi Martyris, qui i. Iunij colitur; S. Hymerij Episcopi, qui xvii. S. Firminæ Virginis Romanæ xxiv. Nouembris coronata martyrio vnà cum Vrlicino Lictore, atque Olympiade Præfecto, cuius memoria agitur x. Decembris. Horum ille, Deiq; in illis, gloriam amplificare studuit, eruditione, prudentiâ, religione clarissimus Præsul.

55. Illius siue institutione formatus, siue prouocatus exemplo, Peregrinus Carlenus Amerinus
Abbas

Abbas S. Mariae numerum nuper ac gloriam augere patriæ suæ tutelarium Diuorum conatus est. Nam à Peregrino quia Monasterium, V Vestphalia urbem, Regum Hi- Carleno spania ac Gallia, Caesarisq; & aliorum Principum Abb.

Feciales de vniuersa Christiana Reip. pace deliberaturi, conciliantibus Pontificis Maximi ac Venetorum Legatis, conuenerant; ipse quoque eò, cuiuspiam acturus Principis causam, se contulit. Neque verò itineris ac laboris pretio frustratus est, etsi reliqui conuentus eiusmodi exitus futurus videatur, quem non creditura facile sit posteritas. Sed tamen quodcumque aspernantium pacem ius ac fortuna erit, fructum operæ Carlenus magnum tulit, in patriæ suæ salutem, Diuorum honores, redundaturum. Nam

dum Monasterij agit, à Canonicis Ecclesiæ Paderbornensis, annuente quoque ipso Electore Colonensi, eorum Antistite, die IX. Iunij an. MDCXLVI. aliquas S. Liborij (cuius & ipse & frater eius Augustinus Carlenus, Canonicus Amerinus, præsentem opem in nephriticis leniendis doloribus erant experti) Reliquias impetrauit: duas nimirum è sacro illius corpore particulas, tibie alteram, indicis longitudine; alteram cranij. pollicis ferè diametrum æquantem.

S. Liborij
Reliquia à
Paderbor-
nensibus ob-
tenta,

56. Has ille Reliquias in Italiam per virum religiosum è Patrum Capucinorum Ordine F. Bona- uenturam misit, in Cathedrali ecclesiâ Ameria locandas. Quâ occasione, vt ex Illustriss. Episcopo Neritonensi Fabio Chisio, Innocentij X. Pontificis Maximi ad eum, quem dixi, conuentum Legato didici, magna erga S. Liborium Italorum existere pietas coepit; vt ingens turba populorum, atque è sacro

misse an.
1646.

magnâ pi-
tate hono-
rata:

quoque

quoque Cardinalium collegio nonnulli, & alij Principes, ad eum venerandum Ameriam ventitent. *sculpta eius imago:* Curavit idem Abbas Carlenus, Capituli Amerini rogatu, eiusdem Diui imaginem, vti Paderborna pingi solet, in as incidi, & Gaudētio Polo de Casciâ, Amerino Antistiti dicauit: cuius imaginis vndique per Italiam exempla expetuntur, certis identidem hominibus, qui ea impetrent ac deferant, Ameriam allegatis.

Vita hic seorsim edita: 57. Vir idem religiosissimus, suo me potissimum hortatu permouit, vt S. Liborij res gestas, miracula, translationes, quas non nisi ad xxiiii. Iulij in Opere de Sanctorum Actis statueram in lucem proferre, recognoscerem ac seorsim ederem.

donationis instrumentum: exceptionis celebritas. 58. Publicum instrumentum quo donatas à Paderbonensibus eas Reliquias fuisse constet, Monasterij legitime confectum, cum Actis Ecclesie Amerinae dabimus.

§. IX. Solemnitas, quâ S. LIBORII
reliquiæ ab Ecclesiâ Amerinâ
exceptæ.

S. Liborij reliquiæ, an. 1647. 12. Maij, 59. **A**llatis Ameriam S. Liborij reliquiis, solenni supplicationi, quâ in basilicam Cathedralē deportarentur, destinata dies xii. Maij, quæ eo anno, à Christi ortu MDCXLVII. Dominica erat, tertia post Pascha, quâ & celebritas agebatur S. Mariæ de Foce; eo consilio delecta ab Gaudētio Polo eius vrbis Antistite, vt qui sacrum illum locum pietatis ergo visissent exteri, ijs deinde in urbem venire,

venire, & supplicationi, qua horâ XXI. inchoanda erat, interesse fas esset.

60. Pridie secundâ noctis horâ, in futura solennitatis indicium, compulsatae sunt templorum omnium, ac cœnobiorum vr̄bis totius campanæ, vt religioso eo sonitu plebis permouerentur ad pietatem animi, sensumq; ex eo secuturi triumpho præciperent. Sacrarum ædium valuis, locisque alijs publicis, affixum erat programma, quo Episcopus Religiosos populûmq; inuitabat ac hortabatur, vt frequentes adessent, oblatûmq; sibi caelestem thesaurum, promptâ deuotione, reddendis Deo gratijs, ipsius Diui implorandâ ope, cohonestarent.

inuitato populo,

61. Dominicâ verò cantata sub horam XVIII. præclaro symphonicorum concentu Vesperæ sunt. Aderant cum Episcopo Anciani (ita iv Viri qui supremum Magistratum gerunt, quasi Seniores, appellati, alibi Priores, aut Consules) vr̄bisque Gubernator: confertum populo templum erat, omnis sexus, ordinis, ætatis: conuenerant quotquot inscripti sodalitijs, siue fraternitatibus, vt vocant, prælata proprio cuiusque labaro, saccis de more induti: ornabant solennitatem eius vr̄bis Religiosi omnes, pars in templum ingressi, pars coacti foris subsistere.

post Vesperas

62. Peractis Vesperis, ordinata supplicatio est, institutâ multitudine omni in locos suos ac procedendi seriem distributâ. Antea iam tabernaculo pretioso incluse Reliquia, à P. Bonauenturâ Capucino ad S. Francisci ædem tacitè erant deportatae. Nam inde eas supplicantes vt ad Cathedrale templum transferrent, statutum fuerat.

supplicatione ad templum S. Francisci,

63. Pri-

precedenti-
bus sodali-
tatis civium,

63. Prima processit Sanctissimi Sacramenti sodalitas, quæ trecenta circiter censebat capita, albo sodalium inscripta. Eam sodalitas mortis sequebatur, hanc SS. Ioannis & Pauli, tum S. Rochi, S. Sebastiani, Misericordiæ, S. Augustini, S. Firminae: singulis præter proprium labarum, Crucifixi effigies, aliâque publici decoris insignia præferbantur.

Religiosis,

64. Inde Religiosorum cœtus: Capucini Patres omnino XVIII. Augustiniani excalceati, Augustiniani Antiqui, Franciscani Reformati, qui nostratibus appellantur Recollecti; ac postremò Conventuales Ordinis eiusdem.

Clero sac-
ulari,

Canonicis;

sequente
Nobilitate
& populo.

65. Sequebatur basilicæ Cathedralis Capitulum, Cruce prelatâ: anteibant XII. adolescentes è Seminario Patrum Somaſcorum: deinde Clerus omnis, Presbyteri ac Pastores totius vrbis: tum Canonici, quos Episcopi Vicarius sequebatur inter duos, utrimque Canonicos medius: ipseque tandem Episcopus, pontificali cappâ indutus, claudentibus ei de more latera duobus, qui dignitatem gerere in Capitulo dicuntur. Post hos Illustrissimi DD. IV. Viri Anciani, ac Gubernator, illorumque Tabelliones, & qui ex Officio quique è familiâ singulos affectari solent: postremò multitudo propè innumerabilis Nobilium, civium, opificum, tum qui in vrbe degebant, tum quos aliunde sua pietas publicâque deuotio exciuerat.

66. Ut ad S. Francisci eadem supplicatio peruenit, ad episcopale solium, isthic iam paratum, Antistes accessit, cappâque depositâ, pluuiiale & mitram sumpsit:

sumpsit: postea ante principem aram, de manibus ^{ibi ab Epi-}
 P. Bonaventuræ tabernaculum, intra quod condi- ^{scopo in al-}
 ta Reliquiæ erant, accepit, piéque exosculatus, supra ^{tari collo-}
 aram collocavit, insigni apparatu ornatam, accensis ^{cata,}
 in eâ viginti prægrandibus cereis. Dein à gemino
 musicorum choro, egregiâ symphoniâ, decantata est
 in S. Liborij laudem antiphona.

67. Eâ finitâ, processere supplicantes versùs tem-
 plum Cathedrale, eodem quo aduenerant ordine. Ad ^{tum plerisque}
 valvas Franciscanæ adis collocarat Augustinus ^{albas faces}
 Carlenus Canonicus Sacerdotes duos, qui singulis ^{gerentibus,}
 supradictorum sodalitorum Confratribus, ut vul-
 gò se appellant, ac Religiosis, & plerisque Nobilibus,
 aduenis equè ac vrbanis, faculam è cerâ virgine tra-
 derent: Canonicis verò ac Præsidiibus religiosarum
 congregationum, nec non Ancianis & Guberna-
 tori, fax trilibris est data, ut & duodecim adolescen-
 tibus Nobilium liberis, qui Angelico cultu ornati, ele-
 ganti ordine sacras Reliquias precedebant, quas ab eodem
 Antistes sub magnificâ vmbellâ, tabernaculo inclu ^{deportata,}
 sas gestabat.

68. Milites præsidarij, ex occasione hibernorum
 hoc anno ibi collocati, omnes in aream, quæ ante eam
 adem sita est, educti, pulcherrimo ordine dispositi, si-
 mul atque in conspectum venerunt Reliquiæ, edito
 à Centurionibus signo, eas festiuâ schlopetorum dispo- ^{militariter}
 sione consalutarunt. ^{salutata.}

69. Ducta supplicatio est ad omnes Amerina
 vrbis ecclesias ac cœnobîa sanctimonialium. Ac pri-
 mùm S. Elisabethæ, Ordinis S. Claræ, adita ades, ^{per Religia-}
 exquisito apparatu ornata, altaribus omnibus cereo- ^{sarum tem-}
 pla circum-

D

tum lata,

ruin ac facum multiplici splendore collucentibus. Hic in summo altari positum ab Episcopo Reliquiarum tabernaculum, dum à Religiosis ac musicis, consonante organo, antiphona de S. Liborio cantatur. Dein sublatis in altum ductisq; in crucem Reliquias, populo Episcopus benedixit. Tum ad S. Monicæ cœnobium Virginum instituti Augustiniani itum, quibus eâ quoque ceremoniâ benè precatus est Antistes.

musicâ ho-
norata,

70. Locuplete ornatu conuestitum Patrum Augustinianorû templum erat, ac domus: è quâ prætereuntes reliquæ egregio musicorum concentu salutata sunt. Idem à cœnobis S. Magni, ac S. Stephani, utroque monacharum Ordinis Benedictini, factum: quibus benedictio, ut antè alijs, impertita. Ventum deinde ad monasterium SS. Catharinæ ac Ioannis Euangelistæ, quod sæminæ religiose Ordinis S. Benedicti incolunt: quæ ad reliquum templi, sanè prædiuitem, ornatum, variâ schloporum maiorû displosione honorari sancti Præsulis exuias curarunt.

displio-
ne bombar-
darum,

ad templum
Cathedrale
allata,

71. Quæ ante basilicam Cathedralem iacet area, varij tenebant cunei militum, iucundo ad speciem situ: à quibus tum schlopi maiores displosi, tum alia bellica instrumenta ad Diui honorem adhibita. Erat ipsa basilica splendidissimè ornata. Ad honestandas quippe Reliquias, nullis expensis Antistes ipse ac Capitulum ciuitasq; pepercerant.

datâ bene-
dictione,

72. Positum utidem in summo altari tabernaculum ab Episcopo est, cantataq; à musicis antiphona, dum intereâ in templum areâmq; omnis conuenit supplicantium turba: cui ut benè precatus Episcopus est; Reliquiæ ad sacellum Sanctissimi Rosarij

rij

rij delatæ, intraq; armarium conditæ sunt; ad eam
 tem preparatum, ternis dein clauibus oclusum, qua- ^{recondita,}
 rum vna penes Episcopum asseruatur, altera penes
 Capitulum; tertiam habet Canonicus Carlenus:
 donec eius, fratrisq; Abbatis sumptu, nouum con-
 struatur sacellum S. Liborij honori dicandum: ^{dum para-}
 cuius hic reliquias ad patriæ ornamentum ac præsiti- ^{tur sacel-}
 dium, ab Ecclesiâ Paderbornensi obtinuit: qua tanto ^{lum:}
 totius Vmbriae plausu acceptæ sunt, vt per omnem
 latè Italiam eius rei sparsa sit fama, & inflammatis
 hominum animi eximiâ erga nouum hunc Tutela-
 rem, & contra nephriticos dolores patronum,
 pietatè.

73. Et verò iam nunc haud pauca memorantur ^{insperata eo}
 eius patrociniò obtenta diuinitus beneficia. Illud cum- ^{die seren-}
 primis prodigy simile habitum, quod cum maxima ^{tas.}
 esset aura intemperies imbrèsque assidui, eo præsertim
 die, in quem solennis indicta erat Reliquiarum trans-
 latio, simul inchoata supplicationis est pompa, subita
 extiterit planeq; insperata serenitas.